

EXPOSITIO DE NOMINIBUS LOCORUM, VEL CIVITATUM, QUAE LEGUNTUR IN LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM. (C,S)

A

Acheldemach, hoc est ager sanguinis, qui hodieque demonstratur in Helia ad Australem plagam montis Sion, et hactenus juxta Judaeorum consilium mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub dio putrefacit.

Aegyptus a Septentrione mare Magnum sinumque Arabicum, ab Oriente mare Rubrum, a Meridie Oceanum, ab Occasu Libyam habet. Cujus inferiorem partem Nilus dextera laevaue divisus amplexu suo disternat, Conopico ostio ab Africa, ab Asia Pelusiaco centum sexaginta millia passuum intervallo. Quam ob causam, inter insulas quidem Aegyptum retulere, ita se findente Nilo, ut Δ litterae figuram efficiat. Ideoque multi Graecae litterae vocabulo Deltam appellavere Aegyptum. Mensura ab unitate alvei unde se findit primum in latera ad Canopicum ostium centum sexaginta millia passuum, ad Pelusiacum ducenti quinquaginta sex. Aethiopum regio ab Indo flumine consurgens juxta Aegyptum, inter Nilum et Oceanum, in Meridie, sub ipsa solis vicinitate jacet. Quorum sunt tres populi, Hesperii Occidentis, Garamantes Tripolis, Indi Orientis.

Alexandria, civitas Aegypti, quae quondam No dicebatur, inter Aegyptum, Africam et mare quasi claustrum posita, in qua beati evangelistae Marci tumulus hodieque in Ecclesia veneratur.

Amphipolis, civitas Macedoniae. Est et altera ejusdem nominis in Syria.

Antiochia, civitas Syriae Coeles, in qua Barnabas et Paulus apostoli sunt ordinati. Est et alia in Pisidia provincia Asiae, in qua iidem praedicantes Judaeis dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud*, etc. (**Act. XIII**).

Antipatris, civitas Palestinae, nunc dirupta, quam Herodes rex Judaeae ex patris sui nomine vocaverat.

Appii forum, nomen fori Romae ab Appio quondam consule tractum, a quo et via Appia cognominata est.

Apollonia, civitas est Macedoniae. Est et altera in provincia Africae, quae dicitur Pentapolis.

Ariopagus, Athenarum curia, quae interpretatur villa Martis, quod ipse ibi quondam a duodecim diis judicatus sit.

Arabia, regio inter sinum maris Rubri, qui Persicus, et eum qui Arabicus vocatur. Habet gentes multas, Moabitas, Ammonitas, Idumaeos, Sarracenos, aliasque quamplurimas. Arabia autem sacra interpretari dicitur, eo quod sit regio thurifera, odores creans. Hinc eam Graeci Eudaemona, nostri Beatam vocaverunt.

Asia regio, quae minor cognominatur, absque orientali parte qua ad Cappadociam Syriamque progreditur, undique circumdata est mari. Cujus provinciae sunt, Phrygia, Pamphylia, Cilicia, Chaonia, Galatia, et aliae

multae. Sed specialiter ubi Ephesus civitas est, Asia vocatur.

Asos, civitas Asiae maritima, eadem Apollonia dicta.

Athenae, civitas in Achaia, philosophiae dicata studiis. Quae cum una sit, plurali numero semper appellari solet, cujus Pireus portus septemplici quondam muro communitus fuisse describitur.

Attalia, civitas Pamphylicae maritima.

Azotus, oppidum insigne Palaestinae, quod Hebraice vocatur Esdod, et est una de quinque olim civitatibus Allophylorum.

B

Babylon, metropolis regni Chaldaeorum, ubi eorum qui aedificare turrem linguae divisae sunt, a qua et regio circumposita, Babylonia vocatur. Hanc fuisse potentissimam, et campestribus per quadrum sitam, ab angulo usque ad angulum muri, duodecim millia tenuisse passuum, id est, simul per circuitum sexaginta quatuor millia, refert Herodotus, et multi alii qui Graecas historias conscripserunt. Arx autem, id est, Capitolium illius urbis, est turris, quae, post diluvium aedificata, quatuor millia passuum tenere dicitur. Cujus post ruinam muri tantum fictiles remansisse, et ob bestias quae illic abundant captandas recuperati esse traduntur.

Beroea, civitas in Macedonia, quae verbum Domin nobiliter accepit.

Bithynia, provincia Asiae minoris, quae et quondam Bebrycia, et deinde Mygdonia dicta est. Ipsa est et major Phrygia, Hiera flumine a Galatia disternata. Habet civitatem ejusdem nominis.

C

Caesareae civitates duae sunt in terra repromissionis. Una Caesarea Palaestinae, in littore maris Magni sita, quae quondam Pyrgos, id est turris, Stratonis dicta est, sed ab Herode rege Judeae nobilius et pulchrius et contra vim maris multo utilius instructa: in honorem Caesaris Augusti, Caesarea cognominata est. Cui etiam templum in ea marmore albo construxit. In qua nepos ejus Herodes ab angelo percussus, Cornelius centurio baptizatus, et Agabus propheta zona Pauli ligatus est. Altera vero Caesarea Philippi, cujus Evangelii Scriptura meminit, ad radicem montis Libani, ubi Jordanis fontes sunt, a Philippo tetrarcha ejusdem regionis facta, et in honorem Tiberii Caesaris cognominata est. Sed et tertia Caesarea Cappadociae metropolis est, cujus Lucas ita meminit: Profectus ab Epheso et descendens Caesaream, ascendit, et salutavit Ecclesiam.

Cappadocia, regio in capite Syriae, id est, ad Septentrionem.

Carrlia, civitas Mesopotamiae, apud Romanos. Crassi clade, apud nos autem hospitio Abraham patriarchae, et parentis ejus, morte nobilis.

Cenchre, portus Corinthiorum civitatis famosissimae.
Chaldaeorum regio inter Babyloniam et Arabiam, Tigrin et Euphratem.

Chanaan filius Cham obtinuit terram a Sidone usque ad Gazam, quam Judaei deinceps possederunt ejectis Chananaeis.

Chius, insula ante Bithyniam, cujus nomen Syra lingua mastichem designat, eo quod ibi mastix gignitur. Hanc aliqui Chiam appellavere, a Chione nympa.

Cilicia, provincia Asiae, quam Cygnus amnis intersecat, et mons Amanus, cujus meminit Salomon, a Syria Coele separat.

Cyprus, insula in mari Pamphylio, quindecim quondam oppidis insignis, famosaque divitiis, et maxime aeris. Ibi enim prima hujus metalli inventio et utilitas fuit. Cui in proximum est in finibus Ciliciae promontorium, et oppidum Veneris.

Cyrene, civitas in Libya, cujus regio etiam Pentapolitana vocatur, eo quod quinque urbibus maxime fulgeat, Beronice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, ipsaque Cyrene.

Cnidus, insula contra Asiam.

Coos, nobilissima contra Asiam insula, adjacens provinciae Atticae, et est ejusdem nominis oppidum in insula Calamna.

Corinthus, civitas Achaiae maritima.

Creta, Graeciae insula centum quondam urbibus nobilis, unde Hecatopolis dicta est.

D

Damascus, nobilis urbs Phoenicis, quae et quondam in omni Syria tenuit principatum, et nunc Sarracenorum metropolis esse perhibetur. Unde et rex eorum Maumas famosam sibi in ea suaeque genti basilicam dicavit, Christianis in circuitu civibus beati Baptistae Joannis Ecclesiam frequentantibus.

Derbe, civitas Lycaoniae provinciae.

E

Elamitae, principes Persidis, ab Elam filio Sem appellati. Ephesus Amazonum opus, civitas in Asia, ubi requiescit beatus evangelista Joannes.

F

Ab F incipientia non sunt, sed a Φ haec duo.

Phrygia, provincia Asiae Troadi superjecta, septentrionali sua parte Galatiae contermina, Meridiana Lycaoniae et Pisidiae, Mygdoniaeque, ab

Oriente Cappadociam attingit. Duae sunt autem Phrygiae, quarum major Smyrnam habet, minor vero Ilion.

Phoenicia, provincia Syriae cujus partes sunt Samaria Galilaea, et aliae plurimae regiones.

G

Galilaeae duae sunt. Una Galilaea gentium, vicina finibus Tyriorum in tribu Nephthalim. Altera circa Tiberiadem et stagnum Genezareth in tribu Zabulon.

Galatia, provincia Asiae, a Gallis vocabulum trahens, qui auxilium a rege Bithyniae evocati, regnum cum eo peracta victoria diviserunt. Sicque deinde Graecis admisti, primo Gallograeci, postea Galatae sunt appellati.

Gaza, civitas insignis Palaestinae, quae apud veteres erat terminus Chananaeorum ad meridiem. Sed antiquae Gazae locum vix fundamentorum vestigia demonstrant. Haec autem quae nunc cernitur in alio loco, pro illa quae corruit aedificata est.

Graecia, provincia quaedam Achaiae, quae a Graecis scriptoribus Hellas vocata est. In qua Athenarum civitas est quondam Attica dicta.

H

Hadrumetus, civitas in Bizantio regione Africae.

Hadria, seu Adria, nomen maris contra Ravanam, quod per ostia Padi fluminis intratur, sumpto vocabulo ab Hadria proxima civitate, quae eidem mari nomen etiam Hadriatici dedit. Jerusalem metropolis quondam totius Judaeae, quae nunc ab Aelio Hadriano Caesare, quod eam a Tito destructam latiore situ restauraverit, Aelia cognominata est. Cujus opera factum est, ut loca sancta, id est, dominicae passionis et resurrectionis, sed et inventionis sanctae Crucis, quondam extra urbem jacentia, nunc ejusdem urbis muro Septentrionali circumdantur.

I

Iconium, civitas celeberrima Lycaoniae, et est altera in Cilicia.

Joppe, oppidum Palaestinae maritimum, in tribu Dan, ubi hodieque saxa monstrantur in littore, in quibus Andromeda religata, Persei quondam viri sui fertur liberata fuisse praesidio.

Italia, regio in patria Romanorum, ab Italo rege vocabulum trahens, quae ab Africo et a Borea mari Magno cincta, reliqua Alpium obicibus obstruitur.

Judaea, aliquando tota terra duodecim tribuum appellatur, aliquando duae tantum tribus, quae quondam

Juda vocabantur, ad distinctionem Galilaeae et Samariae, aliarumque in terra repromissionis regionum. Et notandum apud historicos quod Judaea ad Palaestinam, Galilaea vero et Samaria ad Phoenicem pertineant.

L

Lasea, civitas littoraria Cretae insulae, juxta locum qui vocatur Boni portus, ut ipse Lucas exponit. Pro qua quidam corrupte Thalassa legunt.

Libyae provinciae duae sunt. Una Libya Cyrenaica, de qua dictum est: *Et pars Libyae quae est circa Cyrenen* (**Act. II**). Haec post Aegyptum in parte Africae prima est, et mari Libyco cognomen dedit. Post quam Libya Aethiopum, usque ad Meridianum pertingens Oceanum.

Lycaonia, provincia Asiae. Est etiam ejusdem nominis civitas in Phrygia minore

Lycia, provincia Asiae.

Lydda, civitas Palaestinae in littore maris magni sita, quae nunc Diospolis appellatur.

Lystra, civitas Lycaoniae.

M

Macedonia, provincia Graecorum nobilissima, et virtute Alexandri Magni nobilior facta.

Madian, civitas juxta Armonem et Areopolim, cujus ruinae tantummodo demonstrantur, ubi Moyses apud Jetro socerum suum exsulabat.

Medi, a Madai filio Japhet appellati. Sunt autem inter flumen Indum et flumen Tigrim regiones istae a monte Caucaso, usque ad mare Rubrum pertingentes, Aracusia, Parthia, Assyria, Persida, et Media, quas Scriptura sacra universas saepe Mediae nomine vocat.

Mesopotamia, regio inter flumina Tigrim et Euphraten, quae et ipso vocabulo Graece in medio fluminum esse posita monstratur. Huic ad meridiem succedit Babylonia, deinde Chaldaea, novissime Arabia Eudaemon.

Miletus, civitas in Asia maritima, decem stadiis ab ostio Maeandri amnis secreta, ubi Paulus Ephesiorum majores alloquitur. Est et insula ignobilis nominis ejusdem, in mari Aegeo vel Ionio.

Mysia, provincia Asiae, nunc Aeolis dicta. Est et altera ejusdem nominis juxta flumen Danubium. Suntque auctores transisse ex Europa Mosas, et Brygas, et Thynos, a quibus appellantur in Asia Mysi, Phryges et Bithyni.

Mitylene, insula contra Asiam, quae a proximo continente abest septem millia quingentos passus.

Nazareth, viculus in Galilaea juxta montem Thabor, unde et Dominus noster Jesus Christus est Nazareus vocatus. Habetque ecclesiam in loco quo angelus ad beatam Mariam evangelizaturus intravit, sed et aliam ubi Dominus est nutritus.

Neapolis, civitas Cariae, quae est provincia Asiae.

O

Olivetis mons, ad Orientem Jerosolymae torrente Cedron interfluente. Ubi ultima Domini vestigia humo impressa hodieque monstrantur. Cumque terra eodem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum ecclesia in cujus medio sunt, rotundo schemate et pulcherrimo opere conderetur, summum tantum cacumen, ut perhibent, propter dominici corporis meatum nullo modo contegi et concamerari potuit, sed transitus eius iter ad coelum usque patet apertum.

P

Pamphylia provincia est Asiae.

Paphus, civitas maritima in Cypro insula, Veneris quondam sacris, carminibusque poetarum famosa, quae

frequenti terrae motu lapsa, nunc ruinarum tantum vestigiis quod olim fuerit ostendit.

Parthi, inter flumen Indum, quod est ab Oriente, et inter flumen Tigrim, quod est ab occasu, siti sunt, ut supra dictum est.

Patara, civitas Lyciae provinciae in Asia.

Perge, civitas Pamphylicae provinciae.

Philippi, civitas in prima parte Macedoniae.

Pisidia, provincia Asiae.

Pontus, regio multarum gentium juxta mare Ponticum, quod Asiam et Europam determinat, et propter plurimam ostiorum Danubii infusionem dulcius caeteris esse cognoscitur.

Ptolemais, civitas Judaeae maritima prope montem Carmelum, quae quondam Acho dicta est. Est altera Ptolemais in Pentapoli provincia Africae, cujus supra memini.

Puteoli civitas, colonia Campaniae, eadem dicta Dicaearchia.

R

Rhegium, civitas Siciliae maritima, viginti millibus passuum a promontorio Peloro secreta, cujus nomen Graece interpretatur *diruptio*, eo quod haec Siciliae pars quondam Brutio agro Italiae cohaerens, mox interfuso mari sit avulsa, quindecim millia passuum in longitudine freto, in latitudine autem mille quingenta juxta

columnnam regiam. In quo freto est scopulus Scylla, item Charybdis, mare vorticosum, ambo saevitia clara.

Rhodis, Cycladum insularum nobilissima, et ab Oriente prima, quondam Ophiusa vocata. In qua urbs ejusdem nominis fuit aereo colosso famosa, septuaginta cubitorum altitudinis. Distat autem a portu Asiae viginti millibus passuum.

Roma, urbs in Italia, totius quondam orbis domina, a conditoris sui Romuli nomine sic vocata. Quam, propter eximiam virtutem, plerique scriptorum, quasi sola esset, Urbem appellare malebant.

S

Salamis, civitas in Cyprio insula, nunc Constantia dicta, quam, Trajani principis tempore, Judaei, interfectis omnibus accolis, deleverunt.

Salomon, civitas maritima Cretae insulae.

Samaria, civitas regalis in Israel, in vertice montis Somer posita. Sed et omnis regio quae circa eam fuit, a civitate quondam nomen acceperat, media inter Judaeam et Galilaeam jacens. Haec ab Herode Antipatri filio in honorem Augusti Caesaris Graeco nomine Σεβαστή, id est, Augusta, vocata est.

Samos, insula in mari Aeaego, in qua reperta prius fictilia vasa traduntur. Unde et vasa Samia appellata sunt.

Samothracia, insula in Carpathico sinu.

Sarona, quod interpretatur campestris, regio est a Caesarea Palaestinae, usque ad oppidum Joppe pertingens. Et est hodieque locus pascendis gregibus aptus, quae juxta soli qualitatem, Petro praedicante, fidei continuo fructus germinavit. Sed et inter montem Thabor et stagnum Tiberiadis regio Saronis appellatur.

Seleucia, civitas Syriae nobilis, in promontorio Syriae Antiochiae sita.

Sichem, civitas Jacob, nunc Neapolis dicta, juxta sepulcrum Joseph, quae a filio Emor regis sui vocabulum sumpsit, juxta quam Dominus Samaritanae mulieri ad puteum loquitur, ubi nunc ecclesia fabricata est ex latere montis Garizim.

Sicilia tribus est distincta promontoriis, unde et a triangula specie Trinacria quondam vocata, mox a Siculo rege Sicilia dicta est. Primum promontorium dicitur Pelorum, et aspectat ad Aquilonem. Cui Messana civitas proxima est Italia (*sic*) promontorium Caenys duodecim stadiorum intervallo. Secundum dicitur Pachynum, quod respicit ad Euronotum. Tertium appellatur Lilybaeum, civitatem ejusdem nominis habens, et dirigitur in occasum.

Sidon, urbs Phoenicis insignis, olim terminus Chananaeorum, ad Aquilonem juxta Libani montis ortum sita, et ipsa artifex vitri.

Sina, mons in regione Madian super Arabiam in deserto qui alio nomine Horeb appellatur. Unde dicitur: *Et fecerunt vitulum in Horeb (Psal. CV)*, cum hoc Moses in Sina factum scripserit.

Syracusae, metropolis Siciliae sub promontorio Pachyno.

Syria, quae Hebraice Aram dicitur, regio est inter flumen Euphratem et mare Magnum, usque ad Aegyptum pertingens. Habet maximas provincias. Comagenam Phoeniciam, et Palaestinam, absque Sarracenis et Nabathaeis, quorum gentes sunt duodecim.

Syrtes, arenosa in mari Magno loca, multum terribilia et metuenda, eo quod ad se omnia diripere soleant, et appropinquant vadoso mari haereant. Hae autem ad mare Aegyptium vicinae sunt, et pariter admiscentur.

Smyrna, civitas Lyciae provinciae in Asia, cujus Lucas ita meminit: *Et pelagus Ciliciae et Pamphyliae navigantes, venimus in Smyrnam Lyciae (Act. XXVII)*, pro quo aliqui Codices habent *venimus in Lystram, quae est Ciliciae*. Porro Hieronymus, in libro Hebraicorum Nominum, Myrrham ponit, et interpretatur *amara*.

T

Tarsus, civitas metropolis Ciliciae provinciae, Paulo Apostolo gloriosa.

Theatrum, locus a spectaculo vocabulum mutuans, quod in eo populus desuper atque spectans ludos scenicos contemplaretur.

Thessalonica, civitas Macedoniae.

Thyathira, civitas Lydiae, quae est provincia Asiae, templo quondam Aesculapii famosa. Cujus civis erat illa Lydia porphyropolis, id est, purpurae venditrix, quae in Philippis fidem Christi suscepit.

Tyrus, metropolis Phoenicis in tribu Nephthalim, vigesimo prope milliario a Caesarea Philippi. Haec quondam insula fuit praealto mari septingentis passibus divisa, sed ab Alexandro terrae continens facta est, propter expugnationem multis in brevi freto aggeribus comportatis. Cujus maxime nobilitas conchylio atque purpura constat.

Troas, civitas Asiae maritima, eadem Antigonía dicta.